



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De confidentia animæ amantis Deum, 20

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

les affectus comprimit : mores emendat, reformat & innovat spiritum : lubrica ætatis motus actusque leves coërcet. Hac omnia facit amor cum præsens est : cum vero abscesserit, ita incipit anima jacere languida, ac si cacabo bullienti subtraxeris ignem.

## C A P V T XX.

*De confidentia animæ amanti Deum.*

I. **M**agna res est amor, quo anima per semetipsam fiducialiter accedit ad Deum, Deo constanter inhæret, Deum familiariter percunctatur, consultatque de omni re. Anima quæ amat Deum, nil aliud potest cogitare, nil loqui; cætera contemnit, omnia fastidit. Quicquid meditatur, quicquid loquitur, amorem sapit, amorem redolet, ita amor Dei eam sibi vendicavit. Qui vult habere notitiam Dei, amet. Frustra accedit ad legendum, ad meditandum, ad prædicandum, ad orandum, qui non amat. Amor Dei amorem animæ parit, & eam intendere sibi facit. Amat Deus, ut ametur. Cum amat, nil aliud vult quam amari, sciens, amore esse beatos, qui se amaverint.

2. Anima amans, cunctis suis renunciat affectionibus, & tota soli incumbit amori: ut possit respondere amori, in redhibendo amore. Et cum tota se effuderit in amorem, quantum est ad aliud fontis perenne profluvium? Non pari ubertate concurrunt amor & amans, anima & Deus, creator & creatura: tamen si ex toto se diligit, nihil deest,  
ubi

ubi totum est. Non timeat anima, quæ amat; paveat, quæ non amat.

3. Anima amans fertur votis, trahitur desideriiis, dissimulat merita: majestati oculos claudit, aperit voluptati, ponens se in salutari, & fiducialiter agens in eo. Amore anima secedit, & excedit à corporeis sensibus: ut sese non sentiat, quæ Deum sentit. Hoc fit, cum mens, ineffabili Dei illecta dulcedine, quodammodo sese sibi furatur, immo rapitur atque elabitur à seipsa, ut Deo fruatur ad jucunditatem. Nihil tam jucundum, nisi esset tam modicum. Amor dat familiaritatem Dei, familiaritas ausum, ausus gustum, gustus, famem. Anima, quam tangit amor Dei, nihil aliud potest cogitare, nil desiderare; sed frequenter suspirat, dicens: Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus meus.

## C A P V T X X I.

*Quid fecerit Deus propter hominem.*

I. **D**eus amore venit ad homines, venit in homines, factus est homo. Amore Deus invisibilis servis suis factus est similis. Amore vulneratus est propter delicta nostra. Tuta & firma requies est infirmis & peccatoribus, in vulneribus Salvatoris. Securus illic habito, patent mihi viscera per vulnera. Quicquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei: quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ affluant. Per foramina corporis patent mihi  
arcana